

ab isto specificatur cognitio, ad istud tendit, et ab isto paritur, et ab isto fecundatur potentia, ergo sicut objectum non entitative est in specie, nec entitative debet immutare potentiam, sed intelligibiliter ita intelligibili et repræsentativo modo debet actuare, non componendo tertiam naturam sed pure perficiendo intellectum.

XIII. Quare ad primam partem argumenti in principio hujus tertie difficultatis, respondetur divinam essentiam in intellectu beati non informare per inhærentiam; sed per modum formæ terminantis, et objectivæ, nec tamen informat per modum subsistentiæ, quia hæc terminat personaliter, et per modum suppositi, quod pertinet ad physicam substantiæ terminationem; species autem informat per modum objecti, quod ipsam virtutem intellectivam non constituit, sicut neque personalitas naturam, sed constitutam supponit, solum autem determinat objective potentiam, et virtutem, non addendo illi vim operativam, sed objectivam repræsentationem. Et ideo dicitur hæc informatio per modum terminationis habere, tum quia non ordinatur ad constituendam aliquam tertiam naturam entitative, sed solum trahit intellectum ad communicationem sui esse intelligibilis, tunc autem forma dicitur informare terminando, quando non ordinatur ut formalis, et incompleta ad aliquod tertium, quod est totum et perfectius suis extremis seu partibus, sed ita est perfectum quod ad suum esse, et ad communicationem sui trahit aliud, sicut persona naturam, et ideo hanc compositionem dixit D. Thomas esse sicut numeri per additionem alterius, non sicut compositio tertii ex partibus in III p. q. II, ar. IV ad II. Tum quia trahit intellectum ad totum esse objecti, ita quod ipsum cognoscente facit esse rem cognitam, non

physice, et entitative, sed intelligibiliter, quod est veluti terminari alieno esse, modus enim informandi intelligibiliter talis est ut manente objecto in sua entitate tamquam sibi propria, possit integre etiam esse ipsius cognoscentis non per conversionem in ipsum, sed per repræsentationem, quæ magis est transformatio in alterum, quam informatio, et sic repræsentative trahit intellectum ad hoc, ut totum sit quod nullam mutationem in objectum ponit, sed solum in intellectu, et informatio, quæ in objecto mutationem non ponit non est cum imperfectione formæ informantis, sed potius se habet per modum formæ terminantis. Tum denique, quia informatio objectiva, cum nihil virtutis, aut naturæ tribuat potentiæ cognoscitivæ, solum tribuit determinationem, seu terminationem objecti, quia non constituit naturam seu virtutem potentiæ, nec eam illi tribuit, sed solum alterius extra se repræsentationem in alio esse, et hoc esse respectu esse entitativi, dicitur terminare, quia non constituit, sed constitutam virtutem supponit, et sic determinat erga aliud extra se. Quia ergo hæc informatio, nec est cum immutatione objecti, nec ordinatur ad constituendam, vel dandam virtutem seu naturam aliquam potentiæ, ideo non repugnat Deo, sed habet se sicut informatio terminativa subsistentiæ, vel existentiæ, quam Deus se solo supplet. Et in hac Deus non supplet effectum formalem sine forma, sed unam formam superiorem ponit, quæ facit id quod in nobis forma inferior, sicut subsistentia divina supplet creatam, non effectum formalem sine forma facit. Et ita D. Thomas III cont. gent. c. LI: « Manifestum est, inquit, quod essentia divina potest comparari ad intellectum creatum ut species intelli-

bilis, qua intelligit, quod non contingit de essentia alicujus alterius substantiæ separatæ: nec tamen potest esse forma alterius rei secundum esse naturale, sequeretur enim quod simul cum aliquo unita constitueret unam naturam, quod esse non potest, cum essentia divina in se perfecta sit in sua natura; species autem intelligibilis unita intellectui non constituit aliquam naturam, sed perficit ipsum ad intelligendum, quod perfectioni divinæ essentiæ repugnat. » Ita D. Thomas. Ex quo colligimus, quod informatio entitativa, et ordinata ad constituendam aliquam naturam sive substantialem, sive accidentalem fundatur in aliqua imperfectione extremorum constituentium ideoque repugnat Deo, ordinantur enim ad faciendum aliquod totum, quod sit melius qualibet parte. At vero informatio speciei intelligibilis non fundatur in aliqua imperfectione, quia non se habet ut pars, aut entitas incompleta constituens aliquam completam, quia objectum non entitative, sed repræsentative concurrens, et sic non facit tertiam naturam, sed objectum, et naturam ejus repræsentat, imo quanto perfectius est objectum, et totalius, tanto melius est intelligibile, et perfectius actuatur in esse intelligibili intellectum, et perficit illum intellectum in esse intelligibili, quia plus intelligibilitatis, et veritatis ei tribuit, quæ est perfectio intellectus, et intellectus melius intelligit si totum intelligit: ergo signum est hanc informationem non dicere aliquam imperfectionem ex parte extremi informantis, sicut in compositione, seu informatione entitativa, in qua quanto aliquid in se minus integrum, et perfectum est per modum totius, tanto magis conducit ad componendum, et informandum informatione formali; nam terminativa informatio potius

est totius, et perfecti ad partes, sicut persona respectu naturæ, et existentia, seu esse respectu totius naturæ, et eodem modo se habet intelligibile ipsi.

XIV. Ad secundam partem objectionis, respondetur intervenire in hac visione illa omnia semotis imperfectionibus, sicut in unione subsistentiæ verbi ad humanitatem, quæ lucem præbet huic unioni explicandæ. Et sic effectus formalis qui resultat est increatus formaliter, sed participative communicatio ejus creata est, et in tempore, sicut enim ex unione Personæ divinæ, resultat hunc hominem esse subsistentem in persona increata sibi tamen creato modo communicata, ita ex unione divinæ essentiæ ad intellectum resultat esse intelligibiliter deificatum intellectum, modo tamen creato, et finito, imo est ipsemet Deus intelligibiliter talis intellectus, eo modo, quo cognoscens dicitur ipsum cognitum intelligibiliter, et quasi transformative. Id autem quod resultat, non est aliqua tertia natura, cum non ordinetur ad eam constituendam hæc unio, sed solum resultat nova perfectio in intellectu, quatenus trahitur ad participandum esse intelligibile divinum ad eum modum, quo S. Thomas docet III part. q. XVII, art. II, quod si adveniret personæ hominis jam constitutæ manus, vel pes non accresceret novum esse, sed solum nova relatio, quia scilicet diceretur esse non solum secundum ea, quæ prius habebat, sed etiam secundum id, quod de novo advenit. Et ita cum natura humana conjungitur hypostatice Filio Dei, non advenit novum esse personale, sed solum nova habitudo esse personalis præexistentis ad naturam humanam. Eodem modo quando unitur esse intelligibile increatum intellectui non resultat aliqua tertia natura, sed nova habitu-

do ipsius divinæ essentiae ut intelligibilis, quatenus perficit illo esse intelligibili intellectum, et sic resultat intellectum esse perfectum intelligibiliter, sicut in incarnatione, quod humana natura sit terminata substantialiter. Et ita III p. q. II, art. IV ad II, dixit D. Thomas, quod compositio personæ in Christo non dicitur esse ratione partium, sed potius ratione numeri, sicut omne illud, in quo duo conveniunt, potest dici ex eis compositum. Et appellatur compositum ratione numeri, quando est compositio qua aliqua duo inter se communicant, sine ordinatione dependentiæ ad unum tertium, quod ex illis constituatur, sed solum resultat, quod alterum extremum maneat perfectum, et attractum ad esse alterius. Sic ergo ex eo, quod divina essentia in esse intelligibili informet intellectum non resultat aliquod compositum tertium ut ex dependentia partium, sed resultat communicatio unius extremi ad alterum, quæ est compositio ratione numeri. Et sicut anima rationalis trahit corpus ad communicationem sui esse, quod præhabet in se, ita forma intelligibilis divina trahit intellectum ad communicationem sui esse intelligibilis. Quo exemplo utitur D. Thomas in IV, dist. XLIX, q. II, art. I, in fine corporis, et q. VIII de veritat. art. I, licet quia est forma incompleta ordinetur ad componendam tertiam naturam: essentia autem divina, quia est forma pura, et perfecta non ordinatur ad compositionem unius tertii, sed ad pure perficiendum, ut dicit D. Thomas III contra gent. c. LI. Et licet I p. q. LV, art. I ad II, dicat quod sensus in actu est sensibilis in actu, non ita quod ipsa vis sensitiva sit ipsa similitudo sensibilis, quæ est in sensu, sed quia ex utroque sit unum sicut ex actu et potentia et similia habet quæstione LXXXIV, art. I ad I, tamen ibi loquitur

de similitudine seu specie in quantum accidens, sic enim componit cum potentia, et ex utroque fit unum sicut cum aliis accidentibus: sed objectum repræsentatum non sic componit cum potentia, sed potius ipse cognoscens fit ipsum cognitum, et trahitur ad ejus esse repræsentative et intentionaliter, ut infra quæstione XIV, art. I, docet D. Thomas.

XV. Ad id quod dicitur de substantia Angeli, quare non possit sic informare intellectum alienum, respondetur idcirco esse, quia substantia Angeli non potest intra intellectum alteri præsupponi, et uniri, eo quod neque informando, ut forma entitativa esse potest intra ipsum, ut de se patet, neque influendo in ipsum, quia solus Deus influit esse intra intellectum, cum a solo Deo dependeat in esse, neque continet intellectum alterius tamquam propriam passionem a se dimanantem, et sibi inhærentem, sicut ipsa substantia habet intellectum proprium. Unde cum nullo modo præsupponatur entitativa præsens intellectui alterius, neque per modum subjecti, neque per modum formæ, neque per modum efficientis, consequenter non potest illi uniri de novo, ut forma intelligibilis, quia semper ista unio præsupponit aliquam propinquitatem, et conjunctionem entitativam aliquo ex prædictis modis, sicut substantia Angeli adest intellectui proprio suscipiendo illum, species intentionalis per modum accidentis inhærendo; Deus est intime præsens intellectui per modum agentis, et dantis esse ratione immensitatis, quod est habere illapsum in intellectu, quod non habet unus Angelus respectu alterius. Et hæc ratio assignatur a D. Thoma I p. q. LVI, ar. II, arg. IV.

XVI. Ad tertiam difficultatem respondetur essentiam divinam uni-

tam concurrere efficienter ad visionem eliciendam, ut principium quo objectivum semotis imperfectionibus, quia solum se habet ut forma perficiens, non autem ut accipiens perfectionem, neque subordinationem ad intellectum. Neque enim est necesse, quod id quod se habet ut principium quo non inhærens, neque informans entitative, sed solum ut intelligibiliter perficiens, subordinetur intellectui, sed potius intellectum subordinet sibi. Et licet vitalis influxus in talem visionem sic elicitam solum derivetur ab intellectu, non autem ab ipsa specie, quia ab extrinseco advenit, non tamen species ipsa se habet ut instrumentum, vel virtus vitalitatis, ideoque non requirit ex suo formali conceptu subordinationem ad intellectum, quia præsupponitur habere ex se totam radicem vitalitatis, et virtutem proxime requisitam. Efficientia autem objecti, seu speciei est solum efficientia resultans ex determinatione objectiva, qua objectum perficit potentiam intelligibiliter. Unde ex genere suo si intelligibile ipsum sit omnino perfectum nullam subordinationem postulat ad intellectum, sed solum perfectionem illi adjungit modo intelligibili, et præbendo intellectui id quod requiritur ad specificationem actus, sine subordinatione ad suam vitalitatem, sicut etiam in humanitate Christi supplet existentiam, et subsistentiam, quæ non subordinatur naturæ in operationibus eliciendis, sed potius naturam subordinat sibi, licet existentia, aut subsistentia creata naturæ subordinentur per accidens, quia ab ea perfectionem aliquam habent, et ad ejus speciem, et limitationem reducuntur. Et præsertim hoc intelligi potest exemplo substantiæ Angeli, quæ respectu intellectus proprii habet illi dare perfectionem in genere objecti intelli-

gibilis, et non solum subjecti a quo dimanat intellectus sine hoc, quod subordinetur intellectui in ratione objecti intelligibilis, sed potius quia est principium, et radix ipsius intellectus influit cum ipso, non solum ut principium intellectualitatis activæ, sed ut constituens ipsum perfectum ex parte objecti intelligibilis, quia quantum ad utrumque radix intellectus est, ut latius dicemus in materia de Angelis. Ita divina essentia cum sit multo magis radix cujuscumque intellectus creati per modum primi agentis, et primi principii, quam quælibet substantia creata, a qua dimanat proprius intellectus, ideo non minus potest perficere per modum objecti intelligibilis quemcumque intellectum creatum, quam ejus propria substantia non per subordinationem ad intellectum, sed quia radix illius est, et sic est principium utriusque efficientiæ tam per modum principii primi totius vitalitatis, quæ est in intellectu, quam objectivæ intelligibilitatis, qua determinatur eadem vitalitas ad eliciendum hunc actum non subordinando se illi, sed pure perficiendo, sicut etiam Deus ad operationes Christi concurrat generali modo ut causa prima, et speciali ut persona illius humanitatis.

XVII. Ad id vero quod adducitur ex D. Thoma in quodlib. VII, respondetur D. Thomam non exclusisse concursum divinæ essentiae in ratione speciei, sed concursum speciei creatæ ad videndum Deum, et ita inquit sufficere lumen sine similitudine, id est, sine specie et similitudine creata, et hoc ideo quia divina essentia est ipsa lux in ordine intelligibili, et sic non potest per aliquid creatum fieri intelligibilis et lucida, et sic nihil reddens intelligibilem essentiam divinam concurrat cum intellectu, sed solum lumen

gloriæ, bene tamen ipsamet divina essentia concurrat, ut intelligibilis per se ipsam.

XVIII. Ad id quod ultimo loco ponitur, respondetur divinam essentiam non habere rationem actus primi in ordine ad suum intelligere, neque formaliter, neque virtualiter, ut probabimus disputatione XVI, artic. II, habere tamen eminenter omnem perfectionem actus primi, et secundi, qui est in creaturis semotis imperfectionibus, quia tam actus primi, quam secundi Deus est auctor et causa, et sic eminenter habet rationem principii specificativi et objectivi intellectionis creatæ, quod pertinet ad speciem intelligibilem, et sic actuat intellectum creatum in ratione speciei, ut principium intelligendi, non tamen intellectio ipsa formaliter unitur intellectui, quia non potest reddere intelligentem nisi vitaliter operetur, et intelligat intellectus noster, ita quod ab eo actus intelligendi egrediatur, non potest autem vitalitatem actus secundi se solo Deus supplere informando aut egrediendo ab intellectu, ut actio ejus, sicut etiam unitur Verbum in ratione personalitatis humanæ naturæ, non in ratione essentiae divinæ, licet ab ea non distinguatur. Et cum supplet rationem speciei, et non intellectionis non respicit intelligere creatum, ut actum ultimum ipsius speciei, sed ut actum ultimum intellectus elicientis visionem, et ita unitur divina essentia in ratione speciei comprincipiantis visionem, quod non in ratione actuabilis ab ipso intelligere creato, ut ab actu ultimo sui, eo quod illa species unitur ut intelligibile, quod in se est actus purus, et ita non amplius actuabilis, sicque supplet formalitatem speciei quod, non potentialitatem actus primi, eo quod supplet semotis imperfectionibus. Et ex hoc etiam explicatur,

quomodo non subordinetur essentia divina intellectui, licet sit comprincipium intelligendi, et principium quo influendi in visionem etiam effective, quia ita influit ipsum intelligere determinando, et actuando intellectum quod non respicit ipsam visionem, ut actum secundum sui, sed solius potentiae: in aliis autem cognitionibus in quibus species concurrunt, cum sint quid potentiale in genere intelligibili respiciunt ipsum intelligere tamquam esse, et tamquam actum ultimum sui in ipso genere intelligibili, et sic non sola potentia intelligens, sed etiam ipsum intelligibile et species, ut talis perficiuntur ab intelligere, ideoque subordinantur potentiae elicienti, sicut et intellectioni. Quod secus accidit in essentia divina, ut habet vicem speciei intelligibilis in actu primo.

ARTICULUS V.

An formetur verbum in visione beatifica?

I. De hac difficultate egimus in libro de anima, qu. XI, et multi theologi agunt infra quæstione XXVII, ubi agitur de processione Verbi divini. Quia tamen ex fundamentis jactis facile potest resolvi, ideo breviter hic illam expediemus.

II. Supponenda est autem necessitas, et ratio ponendi verbum in intellectione, quam aliqui ponunt ex eo quod actus intelligendi est vera actio de prædicamento actionis, et ideo tam intrinsece requirit terminum productum, sicut ipsa intrinsece est actio. Et qui hoc modo fundant necessitatem verbi, seu speciei expressæ in cognitione ex parte ipsius actionis, seu actus intelligendi ut actio est, consequenter sentiunt, nec de facto, nec de possi-

bili posse dari visionem creatam in beatis sine hoc quod producat terminum, qui debet esse species expressa, seu verbum, neque enim alium terminum creatum, seu productum potest habere intellectio. Alii vero sumunt necessitatem ponendi verbum et speciem expressam in intellectu non tam ratione actionis, quam ratione ipsius objecti intelligibilis; primo quidem ut objectum ipsum reddatur intellectum in actu ultimo seu terminative, sicut per speciem impressam redditur intelligibile in actu primo, et per modum principii cognitionis. Secundo, ut objectum reddatur præsens potentiae in ratione termini intellecti. Tertio, ut intellectus habeat conceptum, et notitiam formalem, quæ sine repræsentatione non datur. Quarto, ut possit rem dicere, et manifestare, quam intelligit, per verbum enim loquitur intellectus. Quinto, ut intellectio trahat rem intra se repræsentative, dum actu cognoscit, non ad illam feratur. Hæc omnia colliguntur ex doctrina D. Thomæ, opusc. XIII et XIV, et IV contra gent. c. XI et XII, et q. IV de verit. art. II, et q. VIII de potentia, art. I, et q. VIII, art. V. Quibus locis specialiter agit de verbo mentis. Et qui solum ob necessitates istas ex parte objecti ponunt verbum, seu speciem expressam, non vero propter rationem actionis, vel termini producendi ab illa intra intellectum, facilius disponuntur ad negandum verbum creatum, et productum in visione beata.

III. Ex his ortæ sunt variæ sententiæ in hac parte. Nam quidam tenent, nec de facto, nec de possibili posse dari visionem beatificam sine verbo creato, ut tenet p. Suarez, lib. II de attributis negativis, c. XI, et latissime Ægidius, lib. XI de beatitudine, q. VII, art. III, §. III, et lib. VIII, q. II, art. II, §. V. Et quia

verbum ex natura sua est repræsentativum objecti, inde magnum faciunt argumentum ad probandum non repugnare speciem intelligibilem impressam ex ipsa ratione intelligibilis, et intentionalis esse.

IV. Secunda sententia per aliud extremum docet neque de facto, neque de possibili posse dari speciem expressam, sicut nec impressam divinæ essentiae in se. Hæc est communior inter Thomistas, præsertim recentiores. Docet eam Cajetanus in præsentia, licet infra quæstione XXVII, art. I, videatur admittere verbum aliquod in beatis partiale, quatenus plus vident quam dicere possint. Eandem tamquam probabiliorum reputat Ferrariensis in I contra gent. cap. LIII, conc. V, licet etiam oppositam probabilem reputet. Sequuntur m. Bagnez, Zumel, Nazarius, Navarrete, Gonzalez et theologi Carmelitani hic tract. II, disp. II, dub. IX et X, et alii quos ipsi citant hic.

V. Tertia sententia affirmat, quod de facto datur verbum productum in beatis, de possibili tamen non implicat sine illo videri. Pro qua sententia plures citat m. Gonzalez hic disp. XXV, sect. IV, etiam ex recentioribus, ut Molina, Vazquez, Arrubal super præsentem articulum, in quibus tamen hanc secundam partem non invenio, nempe quod de possibili possit sine verbo producto videri divina essentia, sed solum primum affirmant, scilicet dari verbum formatum a beatis, non enim distinguitur ab intellectione ipsa in facto esse. Cæterum ex antiquioribus Ferrariensis ubi supra utrumque reputat probabile, scilicet quod formetur verbum a beatis, vel non formetur. Idem sentit Capreolus in IV, dist. XLIX, q. V, licet dicat communiter teneri, quod non habent aliud verbum nisi divinum propter intimam ejus præsentiam. Et in I, dist. XXVII, q. II, in